DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

INSITIONE FEBRIS BVLLOSAE EPIZOOTICAE.

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AVGVSTO AC POTENTISSIMO PRICIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
MAGNO DVCE SAXONIAE VIMARIENSIVM ET ISENACENSIVM
PRINCIPE LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTE
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAVTENBVRGI
CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE
IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS
IVRIBVS ET PRIVILEGIIS
RITE CAPESSENDIS
A .D .XIV. DECEMBRIS A .cIɔcIcccxvI.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR
CAROL. FRIDER. GVILIELMVS HOFFMANN
ARTERENSIS.

IENAE
TYPIS CAROL. GVIL. THEOD. IOCHII.

PRAEFATIO.

Inter beneficia quibus Nutritorum Munificentia Academiam Jenenſem exornavit, inſtitutum veterinarium nuper fundatum cenſeri debet. Novus exinde aperitur campus floribus abundans, in quibus legendis illi deſudent, quorum intereſt ut ſpecimina eruditionis publice examinanda proferant. Hujus inſtituti director enim Cel. Renner, artis veterinariae

et anatomiae comparatae profeſſor, ſummo cum ſtudio experimentis operam dat, non ſolum illis quae ad artem veterinariam excolendam promovendamque ſpectant, ſed etiam illis e quibus phyſiologia et pathologia comparatae fructum capere poſſunt. Quibus experimentis ut interſint auditores aliique artis Apollinaris cultores magnopere cupit, optatque ut argumenta diſſertationum inauguralium ex ipſis eligant. Mihi autem pro amicitia ſua, cujuslibet argumenti in adverſariis inſtituti veterinarii obvii publici iuris faciendi poteſtatem fecit. Cum autem illa quae utilia bonoque publico ſalutaria ſint, mihi prae aliis arriderent: ex magna obſervationum rariorum et experimentorum copia illa prae aliis elegi, quae febrim bulloſam, morbum epizooticum, quem vulgo Maulſeuche et Klauenſeuche vocant, non ſine fructu inſitionis ope propagandam eſſe docent. Fore

credo, ut opuſculum noſtrum rei novitate oblivionem effugiat, qua diſſertationes academicae haud raro obrui ſolent, utilitate autem eruditorum applauſum moveat, eumdemque illorum, qui re pecuaria delectantur.

---

§. 1.

Morbus quem praeceptoris exemplo ductus febrim bullofam faluto, notior effet qui defcriptione fymptomatum egeret, nifi nova ejus appellatio argumentis vindicaretur oporteret. Id ergo explicandum effe cenfeo, qua de cauffa morbum novo nomine infigniverit, qui tot nominibus variis in linguis celebratur. Nomen morbi femper a principali effentialique ipfius fymptomate defumendum eft, minime autem a re quadam accidentali peti debet. Morbus autem in quaeftione inter exanthemata reponendus, nonnifi febris eft, quae puftulatione feu bullarum in variis corporis partibus provenientium eruptione ftipatur, quae veficarum epifpafticorum ope pro-

ductarum adinſtar, lympha limpidiori, ex albido flaveſcente replentur, et exareſcentes eſchara atropurpurea obducuntur. Puſtulae in maximo aegrotorum numero in ore, nec non in illis cutis regionibus reperiuntur, quae pilis, lanave minus obſitae ſunt, illisque, ubi cutis in membranas pituitarias abit. In labiis, ad anum, vulvamque, in uberibus proveniunt. Prae aliis autem hoc exanthema in biſulcis eum ipſum locum amat, quo cutis plica inter utrumque digitum tertiam ad phalangem usque continuatur. Nec in aliis coronarum, (marginum cutis ungulas cingentis) partibus deeſt. In bovino genere reperiuntur, quae cute pilis nimis obſita gaudentia, per totum fere corpus huic exanthemati obnoxia ſunt, cujus rei exempla in pago Jenenſi, cui nomen Amorbach vidimus. Minime autem hoc exanthema in ſolo ore ſolisque pedibus provenit, quod nomen Ger-

manicum designare videtur. Omnia animalia domestica ungulata infestat, in solidungulis quidem rarior.

§. 2.

Patet hunc morbum quoad exanthema ab illo non differre, quem humanae speciei proprium communi pemphigi nomine notum, sub febris bullosae appellatione a pemphigo chronico distinxit de morborum diagnosi recta meritissimus Wichmann *).

§. 3.

Nomina febris bullosae loco hactenus usitata erronea ineptaque sunt, quia a partibus, in quibus solis hoc exanthema non provenit, deducuntur. Locorum tanta habebatur dignitas, ut ipsis decepti auctores

*) Ideen zur Diagnostik. II. Band.

febrim bullosam cavum oris depascentem, quam *Maulseuche* vocabant, ab illa, cujus exanthema in pedibus obvium, claudicationem producit, quam *Klauenseuche*, *Klauenweh* salutabant, separarent. Cum autem pustulae istae uno eodemque in subjecto non raro et os et pedes infestarent, mirandum sane, errorem istum ab ipsis non fuisse perceptum. Rem ita explicare conabantur, ut utrumque morbum saepe complicari, conjungique assererent, quem exanthemate uno eodemque sola loci varietate diverso productum non videbant. Nomina febris bullosae epizooticae vernacula pessima sunt rejiciendaque, quod solum locum affectum, dolentemque designent, affectionem ipsam autem doloris caussam non attingant. Horlacher *) cum vocabulum Germanicum *die Klauenseuche* latine

*) De lue pedum. Franccfurti ad Viadrum 1803.

redderet, morbum luem pedum appellans; verbum quidem verbo, ſed ut mihi videtur nec Latio ſermoni, nec rei convenienter expreſſit. Potius cum Adami conſentiendum, qui vetus vocabulum apud Columellam *) obvium, *claudicationem* ſcilicet, in uſum revocavit, licet morbi naturam non exprimat, bonae latinitati non contrarium. Eundem in errorem incidit, quem nec alii vitarunt auctores, affectionem oris in febre bulloſa morbum peculiarem eſſe ſtatuens, quem cum Sagario **) aphtharum pecorinarum nomine celebrat. Bullae nempe ſeu puſtulae iſtae, ſi minores in membrana pituitaria oris linguaque confluunt, aphthis in humana ſpecie non infrequentibus ſimillimae ſunt. Sed aphthae, morbus infantilis, qui in adultis nonniſi

*) De re ruſtica. VII. 10.

**) Libellus de aphthis perorinis. Viennae 1765.

ſymptomaticus obvenit, eo differunt a febri bulloſa epizootica, quod ſemper in ore, rarius in tubo alimentario inveniantur, in cute autem nunquam appareant. *Claudicatio* effertum morbi in pedibus obvii, minime autem naturam exprimit; rejiciatur ergo, licet claſſica auctoritate commendetur. Sequitur nomen febris bulloſae aliis appellationibus eſſe praeferendum, quod rem exprimat errorem autem non includat.

§. 1.

Febris quae eruptionem exanthematis bulloſi comitatur, ſynochae mitioris charactere gaudere ſolet. Quo fit, ut rarius animalia hoc morbo laborantia de vita periclitentur. Funeſtior eſt, ſi corpora animalium invadit, quae jam ante morbum victu pravo parcove emaciata, in typhum proniora ſunt, aut ſi cum febri illa peſtifera, quam anthracis nomine (*der*

Milzbrand, die Karfunkelkrankheit) ſalutant *), complicatur. Notatu dignum eſt, utrumque morbum uno eodemque anno in una eademque regione non raro graſſatum, ita ut primum animalia quaedam anthrace corriperentur, deinde epizootia febris bulloſae exorta ſit.

§. 2.

Febris ipſa exanthema bulloſum ſtipans, dierum trium vel quinque ſpatio abſolvi ſolet. Sed loca affecta generali morbo jamjam finito,

---

*) Morbus hic nullo hactenus nomine gaudet, quo natura ejus bene exprimatur. Inflammatio quaedam topica in gangraenam ruens, febri ſemper comes eſt. Quae cum lienam prae aliis visceribus occupare ſoleat, nomini Germanico anſam dedit. Forſan melius febris gangraenoſa appellaretur.

per longum tempus dolent, quo dolore ipſarum functiones valde impediuntur. Puſtularum in ore, lingua et labiis obviarum ſanatio ea de cauſſa lentius procedit, quod eſcharae continuo ſalivae fluxu abluantur. Animalia licet fame excrucientur, dolore coacta pabulo abſtinent. In pedibus inflammatio exanthemate producta non raro ſub ungulis ſerpens, pelliculam ipſis ſubjectam (die Fleiſchkrone und Fleiſchwand) depaſcit: quo facto ulcera exoriuntur aegre et non ſine manu chirurgi ſananda. Inprimis armentis balantibusque noxia ſunt, quae in paſcuis nutriuntur. Claudicantia nec gregem ſequi, nec herbarum quantitatem ſufficientem carpere poſſunt, et dolore et fame emacianda. Minime mirum ſi lactantibus lactis ſecretio imminuitur vel plane ceſſat, ſi lanigeris lanae incrementum impeditur, et ſi jumenta per longum tempus minus apta fiunt quae muneribus fungantur.

§. 3.

Licet excoriationes ulceraque oris et linguae acidi muriatici uſu externo et interno, a praeceptore ſummo cum fructu adhibiti, tutius, citius et incundius ſanentur, quae remediis vulgo adhibitis longius reſiſtunt, illisque in pejus ruere coguntur, quae ab agyrtis in uſum vocari ſolent, tamen cura ſemper longa erit. Peſſimus autem ipſorum error eſt, quo perducti vitriolum coeruleum, aliaque cauſtica locis excoriatis imponunt. Inflammationem vehementiorem inde exortam ſuppuratio larga excipere ſolet, in multis ſubjectis autem ulceratio, in nonnullis gangraena ſequuntur.

§. 4.

Quae cum ita ſint mirandum ſane, cur inſitionis pericula, cujus ope virus in locum aptiorem, minusque obnoxium translatum in-

commoda quae ex affectione oris pedumque exoriri solent minus produceret, neglecta sint, sed dubia a nonnullis auctoribus circa naturam hujus morbi contagiosam proposita, fuisse credo, quibus ducti veterinarii de insitione ne cogitarent quidem. Experimenta quaedam cum pure ulcerum oris cum saliva remixto ita instituta, ut humores isti linguae animalis sani imponerentur, vim morbi contagiosam negare videbantur, cum animalia hoc modo contaminata ab ipso morbo immunia remanerent. Sed ipsa ratio vim hujus morbi contagiosam experiendi, fuit, quae vix non falleret. Miasmata enim nonnulla cum saliva remixta ejusque fluxu abluenda, vim suam minus exserunt. In aliis corporis partibus insitionis periculum fieri minus placuit. Ne unum quidem experimentum institutum fuisse apud auctores invenio.

§. 5.

Primus qui ante praeceptorem, rei utilitate perſpecta inſitionem febris bulloſae cum fructu inſtituit, amicus et collegia ipſius fuit Fridericus Brauell, veterinarius forenſis Vimarienſis, vir ſtrenuus et praxin veterinariam feliciſſime exercens. Cum aeſtate anni praecedentis in pago Koettendorf grex ovium vellere inſignium febri bulloſa laboraret, ipſe, vervecum gregi nec non vaccis ejusdem villici adhuc intactis, eundem morbum inſitionis in interna auriculae pagina peractae ope optimo cum ſucceſſu communicavit. Laudandus vir expertiſſimus, laudandus poſſeſſor gregis, qui artis promovendae cauſſa gregem a morbo ſeparationis ope forte vindicandum ipſi expoſuit. Deinde morbo et Jenae et in pagis vicinis graſſante, praeceptor amicum ſecutus inſitionis pericula inſtituit.

§. 6.

Inſitio in interna auriculae parte boum oviumque ſuscipiebatur, eodem loco, quo variolae ovillae optime inoculantur. Foſſa axillaris a nonnullis ea de cauſſa pro inſitione harum variolarum praefertur, quia eo ipſo momento quo inflammatio oritur, oves in quibus inoculatio ſine effectu ſuscepta erat, abſente claudicatione facile dignosci iterumque inoculari poſſunt. Sed non raro tumores ſub armo obvii graviſſime dolent et ulcerationi gangraenaeque anſam dant, quo fit ut animalia pereant. In auricula ſi ipſa gangraena oritur, ipſius amputatione ſine noxa animalis ſuscipienda, facile compescitur. Idem de febri bulloſa valet, cujus exanthema inſitione in auricula proveniens, iſtas partes quas ſponte exortum vel naturali via communicatum prae aliis amat, intactas relinquebat. Fuere quidem et oves et armenta

praeceptoris cura inoculata in, quibus puſtulae in ore et inter ungulas erumperent, ſed febris praecox ſatis indicabat, ipſa jam ante inſitionem fuiſſe infecta.

§. 7.

Febris bulloſa enim hoc ſibi proprium habet, ut infectionis ſtadium breviſſimum ſit. Jam tertio die poſt inſitionem locus infectus rubro colore induitur, intumescit et in centro flavescit. Eodem tempore febris vehementior animal corripit. Quarto die puſtula humore flavescente turgida et halone rubro peripheriam verſus evanescente cincta, in centro foveola notari incipit. Quinto die livor ex ipſa foveola verſus peripheriam puſtulae collabentis procedens, ſtadium exſiccationis indicat. Mox ipſa peripheria puſtulae livescit. Lividus escharae color in atropurpureum abit. Sub finem exſiccationis eschara nigrescit.

Ab ipſo formatae escharae initio halo e rubro in flavum colorem incipit abire, ita ut eschara decidua diem octavum verſus circulo flavo cincta ſit. Poſt ſolutionem escharae alia formari ſolet, quae ſenſim diminuenda cicatriſatione puſtulae peracta evanescit.

§. 8.

Febris ſolo eruptionis die adeſſe ſolebat. Quam plurima animalia quibus febris bulloſa inſitionis ope communicata erat, poſt eruptionem vix ulla aegritudinis ſigna edebant. Nulli autem, ut jam ſupra memoravimus, affectiones locales contingebant, quod non antea fuerit contaminatum.

§. 9.

Inſitio eodem modo inſtituebatur, quo variolae ovillae inoculari ſolent. Acus materia recenti madida ita immittitur, ut ejus apex

inter epidermidem et cutim recto tramite aliquantisper procedat. Sanguinis guttula poſt puncturam apparens, epidermidem bene ablatam ſeparatamque indicat. Haemorrhagia largior operationem minus certam reddit.

§. 10.

Materia nonniſi ex puſtulis probe florentibus, et lympha turgidis deſumi debet. Quae ante bullarum repletionem aufertur, immaturior eſt. Et ſpem praeceptoris non raro fallebat, quam puſtulae exarescentes ſuppeditabant.

§. 11.

Materia ab animali, quod febri bulloſa epizootica per inſitionem communicata laborabat, deſumta, aliique inſerta, ſecundum experimenta quae praeceptor inſtituit, morbum producere valet. Dolendum eſt per

celerem epizootiae decurſum non licuiſſe, haec experimenta continuari, quibus edoceremur, an materia iſta per plures generationes vi ſua polleret, nec ne.

§. 12.

Ab ovibus in boves translatum miasma vi ſua non privabatur, ut jam ſupra memoravimus. Praeceptor etiam in equo inſitionem in inferiori caudae parte inſtitutam fruſtra tentavit.

§. 13.

Reſtat ut commodorum, quae ex inſitione febris bulloſae in fructum oeconomorum et artis veterinariae peritorum redundant, ſuccincta fiat enumeratio.

1) Inoculatione manifeſtum eſt, febrim bulloſam epizooticam, morbum e conſtitu-

tione aeris adhuc ignota forſan oriundum, contagione propagari. Sequitur, gregem quemlibet ab ipſa praeſervari poſſe, ſi a commercio infectorum animalium arcetur.

2) Separatio iſta autem inprimis aeſtatis tempore, cum greges paſcuntur et pabuli ſicci inopia eſſe ſolet, non ſine incommodis inſtitui poteſt, et ſi inſtituitur, morbum et a conſtitutione aeris pendentem, non ſemper impedit. Multo ſatius ergo ducendum erit, ſi armenta, balantesque ab ipſis morbi ſymptomatibus periculoſis inſitionis encheireſi ſupra deſcripta inſtituendae ope praeſervantur.

3) Inſitione enim in omnibus animalibus ad unum gregem pertinentibus ſimul inſtituenda, efficitur, ut epizootia per ſeptem dies abſolvatur, quae, ſi infectionis natu-

ralis ope ſerpit, per plures menſes durare poteſt, quo tempore grex a contactu aliorum gregum arceri et communium beneficio pascuorum carere debet.

4) Animalia in quibus hic morbus per inſitionem exoritur, nec inedia ab affectione oris pendente emarciantur, qua de cauſſa Waldingero *) teſte ſat multa in typhum incidunt, nec claudicatione extenuantur.

5) Morbus inoculatione productus ſine ullo periculo tranſigitur et numquam in typhum abit.

*) Therapie der fieberhaften Krankheiten der gröſsern Hausthiere. I. 205.